

2. Beati mundo corde, non exterioribus oculis, sed corde videbitur Deus. *Aug. de verb. domin.*

3. Cor habet in ventre gulosus, lascivus in libidine, cupidus in lucris. *Hier. super illud Matth. 5. Ubi thesaurus tuus etc.*

4. Omnipotens Deus humanum cor destruit, quum relinquit: ædificat, quum replet: neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. *Greg. in moral.*

5. Quid est cor durum? ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate molliitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, sævum ad judicia, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, preteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens: ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non præterit: futurorum nulla, nisi forte ad ulciscendum, prospectio est. *Bern. 5. de consideratione.*

6. Elatum cor, durum et expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis. *Bern. in serm. ibid.*

7. Non discordet cor tuum à facie tua: non habeas faciem sursum, et cor deorsum. *Bern. super Cant. ibid.*

8. Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde. *Ibidem.*

9. Semper in robusto et vegelo corpore animus mollior jacet, atque tepidum cor, et rursus in corpore debili et infirmo fortior viget, promptiorque spiritus. *Bern. in apolog.*

10. Puritas cordis in duobus consistit: in quærenda gloria Dei, et utilitate proximi. *Ibidem.*

11. An non confunderis sursum caput habere, qui sursum cor non habes: corpore rectus stare, qui corde repis terram. *Bern. in serm.*

12. * Cor in quatuor affectibus est, quid diligas, quid

metuas, unde gaudeas, seu contristeris. *Bern. de jejun. serm. 2.*

13. In omni namque creatura, quæ sub sole vanitatibus mundanis occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similis reperitur: quapropter nihil aliud quærit à te, nisi cor tuum. *Hugo lib. 1. de anim.*

14. Plura machinatur cor meum uno momento, quam omnes homines perficere possent uno anno. *Hugo ibid.*

15. Solus regnat, qui deposito cordis imperio, legibus rationis ordinat totam familiam motuum interiorum et exteriorum. Si consurgat leonina rabies, punitur per patientiam: si petulantia hirci, per abstinentiam: si ferocitas apri, per mansuetudinem: si superbia unicornis, per humilitatem. Non invenitur autem inter cæteras artes liberales, ars ista præ aliis liberalis, qua tenetur cor, quod omni mobili mobilius est, quod omni lubrico lubricosius est. *Hugo lib. 3. de anim.*

16. Cor parvum est, et magna cupit: vix ad unius milui refectionem sufficere posset, et totus mundus ei non sufficit. *Ibidem.*

17. Vis scire de fratre tuo quale cor habeat? attende unde libentius et frequentius loquatur. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Cass. super illud Psal. Egrediebatur foras.*

Vide etiam in tit. Charitas, núm. 16. in tit. Conversatio, núm. 13. in tit. Delitæ, núm. 8. in tit. Devotio, núm. 1. in tit. Ornatus, núm. 20. in tit. Relinquere, núm. 16. in tit. Voluntas, núm. 5.

CORRECTIO.

1. Correctio est errorem innatum vel consuetudine factum fræno rationis inhibere. *Aug. de diffc.*

2. Nihil probat spiritualem virum, sicut peccati alieni tractatio: quum liberationem ejus potius, quam insultationem, potiusque auxilia, quam convitia me-

ditatur, et quantum facultas tribuit, suscipit. *Aug. super epist. ad Gal.*

3. Nunquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium: nisi quum internis interrogationibus examinantes conscientiam nostram, liquido nobis coram Deo responderimus dilectione nos facere. *Aug. ibid.*

4. Quicquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis: dilige et dic quicquid voles. *Ibidem.*

5. Raro et magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita tamen ut in his etiam ipsis, non nobis, sed Deo serviatur, instemus. *Aug. lib. 2. de serm. Dom. 1.*

6. Molestus est medicus furenti phrenetico, et pater indisciplinato filio: ille ligando, iste cædendo sed ambo diligendo. Si autem istos negligant, et perire permittant: ista potius falsa mansuetudo crudelis est. *Aug. ad Bonif. de correct. donat.*

7. Cogunt multas invenire medicinas multorum experimenta morborum: verum in hujusmodi causis, ubi pergraves dissensionum scissuras non hujus, aut illius hominis periculum, sed populorum strages jacent. Detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. *Ibidem et ponitur lib. di. ut cum.*

8. Non vos judicetis malevolos esse, quando alterius crimen judicatis: magis quippe nocentes estis, si fratres vestros, quos judicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet secari: non ne à te crudeliter sileretur, et misericorditer indicaretur? quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius pulrescat in corde. *Aug. de commun. vita vel reg. cleri.*

9. Quæ peccantur coram omnibus, coram omnibus corripienda sunt, ut omnes timeant. Qui secreto peccavit in te, secreto corripe: nam si solus nosti, et eum vis coram aliis arguere, non es corrector,

sed proditor. *Aug. de verb. Do. super illud Matth. 18. Si peccaverit in te, etc.*

10. Foris terribilis personæ increpatio: intus leuitatis teneatur dilectio, neque consentientes sitis malis, ut approbetis: neque negligentes, ut non argualis; neque superbientes, ut insultanter argualis: hoc est, exire inde: hoc est, immundum tangere, et voluntate non consentire, et omne non parcere. *Aug. de verb. Dom.*

11. Magis amat objurgator sanans, quam adulator dissimulans. *Aug. in epist. ad Mar.*

12. Plurimum interest, quo animo quisque parcat: seculi enim est aliquando misericordia puniens, ita et crudelitas parcens. *Aug. ad Maced. in epist. 64.*

13. Non omnis qui parcat, amicus est: nec omnis qui verberat, inimicus: qui phreneticum ligat, et lethargicum excitat: ambobus molestus, ambos amat, ambos sanat, ambos quamdiu ægri sunt, indignantur: sed ambo sanari gratulantur. *Aug. in epist. ad Vincent. Donat.*

14. Fidelis dispensator Paulus veritatis non falsitatis Petrum arguendo. Petrus vero benigna pietate suscepit: atque tam rarius atque sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, et à posterioribus corrigi. Laudabilis, inquit, est accipere corrigentem, quam audacter corrigere ita deviantem. *Aug. in epist. ad Hier.*

15. Non putes te amare servum, quando eum non cædis: aut tunc amare filium, quando ei non das disciplinam: aut tunc amare filium tuum, quando eum non corripis: non est ista charitas, sed languor. *Aug. de char. serm. 7.*

16. Nam si propterea objurgandis et corripiendis male agentibus quis parcat, quia opportunum sibi tempus inquirat: vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur: vel ad bonam vitam et piam erudiendos impediunt, aliosque infirmos premanant, atque avertant à fide: non videtur esse cupiditatis oc-

casio, sed consilium charitatis. *Aug. in lib. 1. de civit. Dei.*

17. Plerumque ab eis admonendis, objurgandis, et corripiendis male dissimulatur: ne vel eos offendamus, vel ut eorum inimicilias devitemus: ne impediant, et noceant in istis temporalibus rebus, quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas: sive quas amittere formidat infirmitas. *Aug. ibid.*

18. Accusare vitia, officium est bonum: quod tamen mali faciunt, alienas partes agunt. Cogitemus ergo, quum aliquem reprehendere nos necessitas coegerit, utrum tale sit vitium quod nunquam habuimus, et tunc cogitemus nos homines esse et habere potuisse: vel quod tale habuimus, et jam non habemus: et nunc tangat memoriam communis fragilitatis ut illam correctionem non odium, sed misericordia præcedat. Si autem invenerimus nos in eodem vitio esse, non objurgemus: sed ingemiscamas, et ad æqualiter deponendum invitemus. *Aug. in serm. Dom. in monte.*

19. * Juste alios reprehendit, qui non habet quod in se aliud reprehendat. *Aug. in Psal. 5.*

20. Qui cordis sui domum excolere non valet: quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? et qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam? *Amb. in pa. sive in lib. de dignit. sacerdotal.*

21. Gravissimus nodus in ligno non potest expelli nisi gravissimo oppressorio. *Ambr. super Matth.*

22. Peccatum unius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat: imo omnes qui norunt, et non devitant, aut quum possunt arguere, dissimulant: non enim sibi videtur peccare, quando à nullo corripitur vel vitatur. *Ambr. super epist. 1. ad Cor. tractans illud Modicum fermentum.*

23. Non osculatur pater filium, sed aliquando castigat: ergo quando castigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim et amor plagas suas, quæ dulciores sunt, quum amarius inferuntur.

Dulcior enim est religiosa castigatio, quam blanda remissio. *Ambr. in serm. ad Vin. Pet.*

24. Plus proficit amica correctio, quam accusatio turbulenta: illa pudorem inculit, hæc indignationem movet. *Ambr. super Luc.*

25. Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. *Ibidem.*

26. Inter cætera mandata peccantes posse arguere maxime libertatis est: sed ille potest facere, qui non meretur audire. Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo. *Hier. super illud Ephes. Magis arguite etc.*

27. Quid necesse est bis pungere non recalcitrantem, per se satis erubescens confundere amplius, cui sua ratio magister est, cui propria conscientia virga et ingeminata verecundia lex disciplinae est. *Hier. in epist. ad Oseea.*

28. Paulus apostolus inimicus nobis factus vera dicens salvatoris: quia dura videbantur eloquia, plurimi discipulorum retrorsum abierunt. Unde non mirum, si et nos ipsi vitii detrahentes offendimus plurimos. Disposui nasum secare sætensem: limeat qui crimosus est. Quid ad te, qui te intelligis innocentem? de te dictum putas in quodcumque vitium styli mei mucro contorquetur. *Hier. in epist. ad Marcellam.*

29. Phinees austeritatem, Eliæ zelum, Petri severitatem, Ananiam et Sapphiram trucidantis, Paulique constanliam, qui Elimam magnum viis Domini resistentem æterna cæcitate damnavit, non est crudelitas, sed pro Deo pietas. Unde et in lege dicitur: *Si frater tuus et amicus, et uxor, quæ est in sinu tuo, depravare te voluerit: sit manus tua super eos, et effunde sanguinem eorum, et auferes malum de medio Israel.* *Hier. in epist. ad Viper. de aust. correct.*

30. Quomodo potest præses ecclesiæ auferre malum de medio ejus: qui in delictum simile corruerit? aut qua libertate corripere peccantem potest cum tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse quæ corripit? *Hier. super epist. ad Tit.*

31. Quæ est ista iustitiæ inimica bonitas? Palpare criminosos, et vulnera eorum usque ad diem iudicii incurata servare? quod si eos durissimam penitentiam per plures annos viderimus agere, tunc nos et saluti eorum possemus consulere; et statuta canonum deberemus temperare. Cum verò aliquibus non compunctio humilitatis, nec instantia operandi appareat, nec beatum David imitetur, qui dicit, *lavabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum*, etc. Et illud: *cinerem tanquam panem manducabam, et poculum*, etc. nec eos jejuniis et lectionibus vacare videamus: possumus agnoscere, si ad primos gradus vel honores redirent: cum quanta negligentia, et cum quanto torpore et inimica animæ suæ securitate permanerent. *Hier. in quadam epist.*

32. Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem: et sic alterum corendetur ex altero: ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *Greg. lib. 9. moral.*

33. In correptione quippe vitiorum subesse debet iracundia, non præesse: ut executione iustitiæ non dominando præveniat, sed simulando subsequatur, et notum iudicium possessa impleat et percurrat. *Greg. lib. 26. moral.*

34. *Si quis est Domini jungatur mihi*: si ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur: profecto se esse Dei denegat, qui in quantum sufficit vitam carnalium corrigere recusat. Fit plerumque Deo gratior amore ardens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia. *Greg. in past. 49.*

35. Qui non corrigit resecanda, committit: et facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. *Greg. in re.*

36. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda: sed palam sunt arguendi, qui palam noscent, ut dum aperta oburgatione sanantur, hi, qui eos imitando delinquerant corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur: et melius est,

ut pro multorum salute unus condemnetur, quam quod per unius licentiam multi periclitentur. *Ibid.*

37. *Verba sapientum quasi stimuli*, et cæc. Clavis atque stimulis verba sapientum comparantur: quia culpas delinquentium nesciunt calcare, sed pungere. *Greg. super Evang. ho. 6.*

38. Paulus arguit Petrum: Petrus verò laudavit Paulum. Amicus ergò veritatis laudavit quod reprehensus est, seque etiam minori fratri ad consensum dedit, quatenus qui prius erat in apostolatus culmine, et esset prius humilitatis. Et sequitur: ecce à minori suo reprehenditur, et reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat, quod prius in apostolatum vocatus est: non quod claves regni cælestis accepit, etc. Ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia dona quæ acceperat, quasi à memoria repulit, ut unum fortiter humilitatis donum teneret. *Greg. super Ezech. pa. 2. ho. 6.*

39. Multi homines et culpam confitentur, et humiles non sunt. Nam multos novimus, qui arguente nullo, peccatores se confitentur. Cum verò de culpa sua fuerint fortasse correpli, patrocinium defensionis quærunt, ne peccatores esse videantur. Et sequitur: Inditia autem veræ confessionis sunt, ut sicut quisque peccatorem se dicit, ita id de se dicenti altero non contradicat. Et superbiæ vitium est, ut quod fateri de se quisque sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur. *Greg. lib. 24. mor. super illud Job.*

34. *Si celavi in sinu meo.*

40. Tunc protervos melius corrigimus, quum ea quæ bene egisse credunt, male acta monstramus, ut unde adepta gloria creditur, inde utilis confessio subsequatur. *Greg. in past.*

41. Major culpa, quo citius, quia culpa est, agnoscitur, eo etiam celerius emendatur. Minor verò dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo et securius in usu tenetur. *Greg. ibid.*

42. Juvenes plerumque severitas admonitionis profectum dirigit: senes verò ad meliora opera deprecatio blanda componit. *Ibidem.*

43. Si is, qui corrigere nititur, ira superatur, opprimat ante, quam corrigat: nam dum plus quam debet accendit, sub justæ ultionis obtentu ad immanitatem crudelitatis effrænatur. *Greg. 26. moral.*

44. Mundus esse à vilis debet, qui aliena corrigere curat: quatenus tantò perspicacius aliis fugienda videt, quantò hoc ipse per scientiam, et vitam celerius declinat: quia nequaquam parè in membro maculam considerat oculus, quem pulvis obtenebrat, et superjectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. *Greg. lib. 6. moral.*

45. Si ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos insurgere derisionis odia formidamus, non jam lucra Dei, sed nostra quærimus. *Greg. lib. 25.*

46. Nonnumquam qui inter flagellorum duritiam remanent incorrecti, dulci sunt aimonitione nuncendi: nam plerumque, quos cruciamenta non corrigunt, ab iniquis actibus lenia blandimenta compescunt: quia et ægros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua revocavit. *Greg. in past. c. 8.*

47. Sæpè hoc magnis doctoribus, mirandisque contingit, ut quo alta charitate fervent, modum correctionis exaggerent: ut lingua aliquid quod non debet, dicat: quia mentem dilectio, quantum debet, inflamat. *Greg. in past. et inmor.*

48. Sicut laudabile decretumque est, reverentiam et honorem debitum exhibere majoribus: ita rectitudinis et Dei timoris est, si quid in eis correctione indigeret, nulla dissimulatione postponere: ne totum corpus (quod absit) incipiat morbus invadere, si languor non fuerit curatus in capite. *Greg. in reg.*

49. * Qui potest emendare, et negligit, participem proculdubio se constituit: qui alterius bonum juvat, suum facit. *Greg. 33. moral.*

50. * Difficilius malum corrigitur, quod perfectiore etiam prosperitate fulcitur. *Bern. lib. 3. de consid.*

51. Impunitas, incuriæ soboles, insolentiæ mater: radix impudiciæ, transgressionum nutrix est. *Bern. lib. 3. de consid.*

52. Magna crimina et tardè credenda sunt, quum audiuntur, et citius punienda, quum veraciter agnoscuntur. *Bern. super Cant.*

53. Mira perversitas medicanti irasci, qui non irascitur sagitanti, id est, adulanti, vel ad peccatum incitanti: qui sagitant in obscuro rectos corde. *Bern. ibidem.*

54. Quum carpuntur vitia, et inde scandalum oritur, ipse sibi scandalii causa est, qui fecit, quod argui debeat: non ille qui arguit. Non ergò timeas contra charitatem esse, si unius scandalum multorum recompensaveris pace. Melius est enim ut pereat unus, quam unitas. *Bern. super cant. c. 2.*

55. Prælati nostri culicem liquant et camelum deglutunt: dum majora prætermittentes, minora discutunt. Optimi rerum æstimatores, qui magnam in minimis, et parvam aut nullam in maximis adhibent diligentiam. *Bern. tractans illud Matth. 23. Duces cæci, etc.*

56. Qui delinquentem superbo vel odioso animo corrigit, non emendat, sed percutit. Quicquid enim protervus vel indignans animus protulerit, objurgantis furor est, non dilectio corrigentis. *Isid. lib. 3. de sum. bon. c. 94.*

57. Qui blando verbo castigatus non corrigitur, acrius necesse est arguatur: cum dolore sunt abscondenda, quæ leniter sanari non possunt. *Isid. ibidem c. 46.*

58. Qui admonitus secretè de peccato corrigi negligit, publice arguendus est, ut vullus, quod occulte sanari nescit, manifeste debeat emendari. *Isid. lib. 3. de sum. bon. c. 96.*

59. Facilius reprehendimus vitia aliena quam nostra: nam sæpè, quæ perversa in aliis judicamus, in nobis nocibilia esse minus sentimus. *Isid. ibid.*

60. Non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus fuerit involutus. Improbum enim est, arguere quicquam in alio, quod adhuc reprehendit in seipso. Qui enim veraciter fraternam vult

corripere ac sanare infirmitatem, talem se præstare fraternæ utilitati studeat: ut eum, quem corripere cupit, humili corde admoneat. Sicut enim viri spirituales alieni peccati emendationem expectant: ita protervi, delinquentibus deridendo insultant, et quantum in ipsis est, insanabiles putant. *Isid. lib. 8. de sum. bon. c. 32.*

61. Plerumque princeps justus malorum errores dissimulare novit: non quod iniquitati eorum consentiat, sed quod aptum tempus correctionis expectet: quando eorum vitia vel emendare valeat vel punire. *Isid. ibid. lib. 5. in fine.*

62. Non uniformiter secundum mensuram delictorum increpationes quoque oportet inferri, sed diligenter aspicere eorum, qui deliquerunt vires atque propositum: ne forte volens rupta sarcire, majorem operetur diruptionem: et cupiens erigere collapsa, casum inferat graviorem. *Chrisost. in suo Did. lib. 2.*

63. Semper scelera, dum non resecantur, in augmenta facinorum prosilitur, quoties secunda impunitate peccatur. Dum enim in Absalon fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidivum facinus iteratur. *Chrysost. in quod. serm.*

64. Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mandantem, et gravia facientem. *Chrysost. in ill. Matth. 18. Digito etc.*

65. * Correctio igne et ferro vehementius operatur. *Chrysost. ep. ad Hebr. ho. 15.*

66. Si docens mysteria legis aperias, secretorum arcana discutias, peccantem verò non arguas, negligentem non corripas, severitatem disciplinæ non teneas, obtulisti quidem cocum, sed non duplicatum. Ignis enim tuus tantum illuminat, non accendit. Qui ergò recte offert, et recte dividit, cocum offert duplicatum, ut conscientia igniculum lumine severitatis admisceat. *Origines in exod. ho. 30.*

67. Non vult te Dominus, si forte videris peccatum fratris tui, continuo evolare ad publicum, et

proclamare passim, et divulgare aliena peccata: quod esset utique non corrigentis, sed potius infamantis: solus, inquit, inter te et ipsum corripe eum: ubi enim servari sibi mysterium viderit, ille qui peccat, servabit, et ipse emendationis pudorem. Si verò difamari se viderit, illico ad denegandam impudentiam converteretur, et non solum non emendaveris peccatum, sed duplicaveris. *Orig. in Levit. c. 55. tractans illud. Si videris fratrem tuum peccare, argue eum inter te et ipsum.*

68. Illud non ociose transcurrendum est, quod uno peccante, ira Dei super omnem populum venit: hoc quomodo accidit? quando sacerdotes, qui populo præsent, erga delinquentes benigni volunt videri, et verentes peccantium linguas, ne forte male de eis loquantur, sacerdotalis severitatis immemores, volunt complere, quod scriptum est: *peccantes coram omnibus argue, ut etc. Idem super num.*

69. Dum sacerdotes uni parcunt, universæ ecclesiæ moluntur interitum. Quæ est ista bonitas, ista misericordia, uni parcere, et omnes in discrimen adducere? Polluitur enim ex uno peccatore populus sicut ex una ove morbida universus grex inficitur. *Orig. ibid. super lib. nu. hom. 71.*

70. Ita peccat, qui videt fratrem peccare, et tacet: sicut qui pœnitenti non indulget: nam qui dixit, si peccaverit, dimitte: præmisit si peccaverit, increpa, ne difficilis sit venia, et remissa indulgentia. *Rav. super illud Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus.*

71. Puella in domo patris arbitri surgit, et eis, ut nemini manifestent præcipit. Juvenis extra portam turba comitante. Lazarus quoque coram multis: quia publica noxa publico eget remedio, levis leviori, et occulta culpa secreta indiget pœnitentia. *Rav. super illud Matth. 9. Puella surge.*

72. Leviter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimia increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. *Prosp. lib. 8. de vita contemplativa.*

73. Odio habeantur peccata non homines: corripantur tumidi, tolerantur infirmi, et quod severius castigare necesse est, non scævientis pleclatur animo sed medentis. *Leo papa et ponit. 86. distinct.*

74. Facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare: et libat domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa, et negligere cum possit, perturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere: nec caret scrupulo confessionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Primus innocentia gradus est, odisse nefanda. Latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate consensum: et nihil prodest alicui, non puniri proprio, qui puniendus est de alieno peccato. *Ibid.*

75. Iniquitas quippe mortalium more purgedinis sine fine vagaret, si eam medicinalis increpatio minime desecaret. *Cass. in Psal. 58.*

76. Occurrendum est, ne tractu temporis impunita malitia convalescat, et vires iniquitati dissimulatio, vel indulgentior gratia subministret: sed clarius audita correctio doceat imperitiam, et compescat audaciam. *Cass. super quadam epist.*

77. Culpam indulgentia prævenire non debet, ne securitas audaciam alat, et ad delinquendum fiducia remissionis invitet. *Ibidem.*

78. Malum, quum perseverat, augetur, et remediabile bonum est in peccato accelerata correctio. *Cass. lib. 3. epist.*

79. Ægris non una causa salutis est, alter his reficitur, alter per abstinentiæ beneficia tenuatur, hic lavacra mollia, ille ferrum quærit ad vulnera, et varium poscit remedium diversa qualitas passionum. Feroces districtione premendi sunt, mansueti civiliter admonendi, dolosi caute, simplices sub lenitate tractandi sunt, et ideo ubique necessaria probatur esse prudentia, quæ rebus omnibus abhibere videtur accommodata. *Cass. 9. epist.*

80. Exhibe te Joannem incestuosus, Matthiam apostatis, fornicantibus Phineem, Eliam idololatris,

Petrum mentientibus, blasphemantibus Paulum, negoliantibus Christum. Brevissimus est hujus vitæ temporalis excursus, finis autem horribilis et incertus. *Pet. Rav. in quodam serm. sive in epist.*

81. Perversum corrigere, nihil aliud est, quam stimulare insanum, quam oleum adhibere camino, et ventis incendia superare. *Pet. Rav. in quodam serm.*

82. Difficile est cor malitia induratum ad formam disciplinae, et speciem honestatis incurvare: sed necesse est, ut dura materia, quom facile ad formam non fleclitur, ei acrioris flammæ incendium, et mallei gravioris percussio adhibeatur. *Hugo de S. Vict. in lib. de institut. novitiorum.*

83. Severitas est per quam judiciaria potestas, vel vindicta districtius in aliquem exercetur. *Tullius 2. Rhetor.*

84. Objurgationes etiam nonnunquam incidunt necessariæ, in quibus utendum est fortè et vocis contentione majore, et verborum gravitate acriore. *Tullius 1. Offic.*

85. Terentius intuens villicum suum male meritum, sumpsissem, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem. Maluit enim impunitum relinquere, quam per iram amplius justo punire. *Val. Max.*

86. In judicando sive corrigendo hæc tria lex secula est, quæ princeps quoque sequi debet: Ut aut eum quem punit, emendet: aut pœna eos ceteros meliores reddat: aut sublatis malis, securiores ceteri vivant. *Senec. de clementia ad Neron.*

87. Non minus turpia sunt principi multa supplicia, quam medico multa funera. *Senec. ibid.*

88. Fortassis, de quo conquereris, si diligenter inspexeris, in sinu reperies. Inique publico crimini irasceris stulte, tu, ut absolvaris, ignosce. *Ibidem.*

89. Objurgationi semper aliquid blande commisce: facilius penetrant verba, quæ mollia vadunt, quam quæ aspera. *Senec. in quadam epist.*

90. Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Bonis nocet, qui malis parcit. *Senec. in lib. de moribus.*

91. Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Res enim optima est, non sceleratos exlirpare, sed scelera. *Ibidem.*

92. Audebo peccanti mala sua ostendere: vilia ejus si non excidero, inhibebo: non desinent, sed intermittent. Fortasse autem desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint. *Senec. 48. epist.*

93. Nobilis equus umbra virgæ regitur, ignavus nec calcaribus concitari potest. Vulgi imperitiam ad res justas sola constringit necessitas. *Senec. de moribus.*

94. * Quantum potes, te ipsum coargue, inquire in te accusatoris plurimum partibus fungere, deinde judicis, novissime deprecatoris, aliquando etiam te ostende. *Senec. 28. epist.*

95. Puniendis peccatis tres esse causas existimatum est, una cum adhibetur poena castigandi atque emendandi gratia, ut is, qui deliquit, attentior fiat correctiorque: Alia est quum dignitas ejus auctoritasque, in quem peccatur, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemptum ejus pariat. Tertia propter exemplum, ut cæteri metu poenæ terreantur. *Gell. lib. 6. Et ponit Taurus in commen. Pla.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 14. in tit. Adulatio, núm. 5, 36. in tit. Amicitia, núm. 3, 59, 98. in tit. Communitas, núm. 1, 5. in tit. Confessio, núm. 14, 28. in tit. Consideratio, núm. 7. in tit. Consuetudo, núm. 21. in tit. Conversatio, núm. 1, 12. in tit. Crudelitas, núm. 1, 4, 5, 6. in tit. Disciplina, núm. 4. in tit. Discordia, núm. 1. in tit. Discretio, núm. 15. in tit. Divitiæ, núm. 1, 5. in tit. Doctrina, núm. 12. in tit. Excusatio, núm. 8, 11. in tit. Exemplum, núm. 6, 29, 32. in tit. Homicidium, núm. 5. in tit. Ira, núm. 39. in tit. Justitia, núm. 2. in tit. Malitia, núm. 17. in tit. Mansuetudo, núm. 5, 7. in tit. Medicina, núm. 1, 4. in tit. Miseria, núm. 7. in tit. Munus, núm. 1. in tit. Pœnitentia, núm. 11. 33. in tit. Prædicalio, núm. 28, 29. in tit. Prælatio, núm. 18, 19, 20, 49, 69. in tit. Sacerdos, núm. 19, 24, 38. in tit. Subjectio, núm. 3. in tit. Venia, núm. 16.

in tit. Verecundia, núm. 15. in tit. Veritas, núm. 5. in tit. Vitium, núm. 15.

CREATIO, SIVE CREATOR.

1. Tria quædam maxime scienda de creatura, nobis oportet intimari: quis eam fecerit, per quid fecerit, quia fecerit. Si ergo quærimus quis fecerit, Deus est. Si per quid, dixit, fiat, et facta sunt. Si quare fecerit, quia bonus est. Nec enim auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec causa melior, quam ut bonum crearetur à Deo bono. Hanc etiam causam condendi mundum Plato justissimam dicit, ut à Deo bono opera bona fierent. *Aug. lib. 11. de Civ. Dei c. 24.*

2. Intelligat qui potest, judicet qui potest: majus ne sit justos creare, quam impios justificare. Certe enim et si æqualis est utraque potentia, hæc majoris est misericordiæ. *Aug. super Joan.*

3. Ex perpetuitate creaturarum intelligitur creator æternus, ex mansuetudine omnipotens, ex ordine et dispositione sapiens, ex gubernatione bonus. *Aug. ibidem.*

4. Non est fas, angelos neque bonos, neque malos putare creatores. *Aug. lib. 2. de Trin. c. 7.*

5. In creaturis siquid erratum cogitamus, inde est, quod non congruis sedibus ea quærimus. *Aug. lib. 5. de lib. arbitrio c. 2.*

6. Considera septem in beneficio creationis: quod creavit te commodo tuo, cui ait: *bonorum meorum non ego David: sine merito tuo: quia nihil ante promerui, qui penitus nihil fuit. Cogita qualem fecit, secundum corpus egregiam creaturam: secundum animam, magis egregiam, utpote imagine Creatoris insignem, rationis participem, beatitudinis sempiternæ capacem: considera et dominationis potestatem: terror enim hominis super cuncta animantia imminere decernitur: considera ergo largitatis demonstrationem, quanta tibi largitus est ad sustentationem, quanta ad*

eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ad correctionem, quanta ad delectationem, quid ni gratias agas? *Bern. in quodam serm.*

7. Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto? hoc modo: nec enim tam facile refectus quam factus. In primo opere, me mihi dedit, in secundo se: et ubi se dedit, me mihi reddidit: datus ergo et redditus me pro me debeo et bis debeo. Sed quid Domino pro se retribuam? nam et si me millies reprehendere possem, quid sum ad Dominum meum? *Bern. de diligendo Deo.*

Vide etiam in tit. Anima, nüm. 21. in tit. Deus, nüm. 14. in tit. Homo, nüm. 11. in tit. Parentes, nüm. 1.

CRUDELITAS.

1. Numquid stultis et insensatis ac brutis animalibus levia verba et non magis aspera, ut tales decet, dum delinquent obijcienda sunt? Sæpius enim contingit, ut leniter ac dulcedine correctio prolata spernatur, et e contra humilitatis verba despectionis jacula emittuntur, et protervia dicit. *Aug. in lib. de confictu vitiorum et virtutum.*

2. Persequi facit homines aut divitiarum ambitus, aut superbiæ odiosa jactantia. Pauperem et mendicum insequi sola sævitia est vel crudelitas, cujus nec honor quæritur nec abundantia facultatis ambitur. *Cass. super Psal. Persecutus est hominem inopem.*

3. Quid prodest crudelibus persequi, quos vident persecutionibus semper augeri? *Cass. ibid.*

4. Evitabis crudelitatem, et ministram crudelitatis iram. Et alibi: Respue crudelitatem, et matrem crudelitatis iram. *Senec. in lib. de moribus.*

5. Severissimè enim nos adversum peccantes erigimus, et ipsi eadem committimus. *Senec.*

6. Nam tam omnibus ignoscere est crudelitas quam nulli modum tenere. *Seneca de clementia ad Ner.*

7. Crudelitas nihil aliud est, quam atrocitas animi in pœnis exigendis. Crudeles vocabo, qui puniendi causam habent: modum non habent. *Sen. ibid.*

8. * Crudelitas minime humanum malum est, indignumque regio animo: ferina ista rabies est, sanguine gaudere, ut vulneribus, et abjecto homine in sylvestre animal transire. *Ibidem.*

9. Plerumque homines in suis domibus sævissimi tyranni, in alienis humillimi servi sunt. *Seneca.*

Vide etiam in tit. Conjugium, nüm. 14. in tit. Correctio, nüm. 7, 30, 58, 74, 83, 85. in tit. Magnanimitas, nüm. 8.

CRUX.

1. Crux Christi nobis totius causa beatitudinis est: hæc nos à cæcitate liberavit erroris: hæc à tenebris reddidit luci: hæc debellatos reddidit quieti: hæc alienos Deo conjunxit: à longè constitutos proximos præsentavit: hæc peregrinantes cives ostendit: hæc discordiæ amputatio est: hæc pacis firmamentum: hæc donorum omnium abundans largitio. *August. in serm. de parasceve.*

2. Hodie crux fixa est, et seculum sanctificatum est: hodie crux fixa, et demones dispersi sunt: hodie crux fixa est, et mors subversa est: hodie crux vincit, et mors vieta est: hodie diabolus vincit, et homo solutus est, et Deus glorificatus est. *Aug. ibid.*

3. Crucem, ut in ea gloriemur, dominus suo gestans humero pro virga regni nobis commendavit, quod est grande ludibrium impiis: grande mysterium piis: et unde mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit: quod illi visum est stultitia, Apostolo factum est sapientia et gloria. *Aug. super illud Gal. 6. Mihi absit gloriari nisi in cruce, etc.*

4. Signum crucis à nobis expellit exterminatorem si tamen cor nostrum Christum habeat inhabitatorem. *Aug. super Joan.*

5. Auctor pietatis in cruce pendens testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens: Apostolis persecutionem, Judæis corpus, patri spiritum, Virgini paranympum, latroni paradisum, peccatori infernum.

Christianis verè pœnitentibus crucem commendavit. *Amb. in serm. de pass.*

6. Dei filius sustinuit ignominiam crucis, et tu beatos putas, qui felicitate istius sæculi et deliciis perfruuntur. *Hier. in epist.*

7. Si ingressi fuerint ad te latronculi per oculos, per aspectum crucis perime eos. *Ibidem.*

8. Duobus modis crux tollitur: quum, aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. *Greg. in hom. Si quis. etc.*

9. Diabolus in virga crucis transgluens carnem humanitatis, transfixus est homo divinitatis. *Gregor. in hom.*

10. Christus in passione patientiam exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, charitatem perficit: his virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur, et est super omnia charitas, à dextris obedientia, à sinistris patientia, in profundo radix virtutum humilitas. *Bern. super Cant. serm. 65.*

11. *Scapulis tuis obumbrasti mihi, etc.* Sub his scapulis quatuor nobis beneficia conferuntur: sub his enim abscondimur, sub his ab incursu accipitrum et milvorum protegimur, quæ sunt aëreæ potestates: sub his umbraculum salubre nos refrigerat, et nimium solis ardorem repellit: sub his quoque alimur et fovemur: his virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur. *Bern. ibid.*

12. O verè cœlestis planta pretiosior cunctis, sanctior universis: ò verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare salutis fructum. *Bern. in serm.*

13. Vide, quid de Deo tuo sentias, vide quantum de eo præsumas. Vide quis brachiis vicariæ charitatis amandus et amplectendus sit, qui tanti te æstimavit: imò qui tanti te fecit. De latere enim suo te formavit, quando pro te in cruce ab dormivit, et ob hoc somnum mortis excepit. Propter te à Deo patre exivit, et matrem synagogam reliquit, ut adhærens ei, unus cum eo spiritus efficiaris. *Bern. super Cant. serm. 28.*

14. Crux est humilium tuitio invicta, superborum dejectio, victoria Christi, perditio Diaboli, infernorum destructio, cœlestium confirmatio, mors infidelium, vitæ justorum de qua Joannes Chrisostomus: Crux est Christianorum spes, crux Romanorum victoria, mortuorum resurrectio, cæcorum dux, conversorum via, claudorum baculus, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ. *Cass. super illud Psal. Signatum est super nos, etc.*

15. Crux Christi clavis est paradisi, hæc infirmorum baculus, pastorum virga, convertentium manductio, proficientium perfectio, animæ salus et corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum datrix. *Damas. lib. 4.*

16. Crux non solum dicitur quæ tempore passionis ligni afflictione conficitur, sed quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptantur, ut non solum intelligatur crux ligni patibulum, sed piæ vitæ virtutisque propositum. Unde omnis Christiani vita, qui secundum Evangelium vixerit, crux est atque martyrium. *Maxim. in serm. de marty.*

Vide etiam in tit. Passio.

CUPIDITAS.

1. Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum et corpus suum, flagellum vocatur: quod autem agit, ut alteri noceat, facinus dicitur: et hæc duo sunt genera omnium peccatorum. *Aug. de doctrina Christ.*

2. Superbia et cupiditas in tantum unum malum sunt, ut nec superbia sine cupiditate, nec sine superbia cupiditas possit inveniri. *Aug. ad quendam Comit.*

3. Non est in carendo difficultas, nisi quum fuerit in habendo cupiditas. *Aug. in lib. confess.*

4. Tanto magis inhæret Deo quilibet, quanto minus diligit proprium. *Aug. in quadam epist.*

5. Cupiditas dicit, valde sine culpa es, qui quidem habenda concupiscis, quia non multiplicari ap-

pelis: sed egere pertimescis, et quod malus alius relinere, ipse melius expendis. *Aug. in l. de conflict.*

6. Sicut hi, qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident, ita etiam mens avari semel vinculis cupiditalis adstricta, semper aurum, semper argentum credit videre, semper reditus computat. Aurum gratius, quam solem inluetur, ipsa ejus oratio et supplicatio ad dominum, aurum quærit. *Ambr. super il. Joan. Attulit ager cujusdam dicitis.*

7. Cupidus ait: Quid injustum est, si cum aliena non invadam, propria diligentia servo? O impudens dictum! propria dicis, quæ ex rebus reconditis in hunc mundum delulisti, quando in hanc ingressus es lucem? Quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibusque subsidiis stipatus intrasti? Sequitur. Tantorum ergo te scias invadere bona, quantis possis præstare, quod vales. *Ambr. ibid. et ponitur 97. dist.*

8. Qui moderari nescit cupiditatibus, is quasi equis raptis indomitis volvitur, laniatur, affligitur. *Ambr. lib. de virgin.*

9. Quum augere opes, aggregare pecuniam, occupare terras possessionibus cupimus, præstare divitiis, justitiæ formam exuimus, beneficentiam communem amittimus. *Ambr. in lib. de offic.*

10. Bonorum auctori aliter inhærere non valemus, nisi cupiditatem à nobis quæ omnium malorum radix est, abscindamus. *Greg. in hom.*

11. Cui cupiditas dominari dicitur, subjectus malis omnibus demonstratur. *Greg. lib. 15. moral.*

12. In pœna modum impatientiæ, in paupertate cupiditalis scrupulum, in obedientia nodum caveas propriæ voluntatis. *Bern. in quodam serm.*

13. Nihil in hac vita laboriosius, quam desiderii terrenis æstuarè: et nihil hic quietius, quam hujus sæculi nihil appelere. *Bern. in serm. 6.*

14. Qui semel Christi servus effectus est, non erit mammonæ famulus, cujus certe è regione fit dominus.

Illa enim ut fugientem sequi, ita fugere consuevit sequentem, nullum sic honorat ut contemptorem sui, nec ita irridet aliquem ut eos, qui eam nimium concupiscunt. *Chrys. ho. 9. super Matth.*

15. Appositio divitiarum majorem accendit flammam, et vehementer fit cupido. *Chrys. ibid.*

16. Virum Catholicum, et præcipue Domini sacerdotem, sicut nullo implicari errore, ita nulla oportet cupiditate violari. Mens enim pecuniæ avida, nec abstinere novit à velitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. *Leo papa in serm.*

17. An non tibi videtur à terra devorari ille, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, qui de terra litigat, terram desiderat, et omnem spem suam ponit in terra, qui ad cælum non respicit, qui futura non cogitat, qui judicium Dei non meluit, nec beata ejus promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat, et ad æterna non suspirat? Talem quum videris, dicito quia devoravit eum terra. *Orig. ho. 19. super Levit.*

18. Quid faciam? destruam horrea mea, etc. Quis non talem misereatur? quis non infelicitatem ejus doleat? Angustatur ex abundantia, constringitur et testatur ex opulentia, infelix in præsentibus bonis, infelicio in futuris. Et ideo ager ei non tam reditus largiores, quam gemitus attulit graviore. *Basil. in ho. super illud.*

19. Omnium malorum radix est cupiditas, transgressionis mater, magistra nocendi, primipitaria iniquitatis, auriga malitiæ, siccaria virtutum, seditionis origo, fovea scandalorum. *Pet. Rav. 11. serm.*

20. Radix malorum est cupiditas, hæc sacrilegia committit, furta et rapinas exercet et prædas, bella gerit et homicidia, simoniace vendit et emit. Inique petit et recipit, et injuste negotiatur et fœneratur. Instat dolis et imminet fraudibus, dissolvit pactum, et violat juramentum, corrumpit testimonium, et pervertit judicium. *Innoc. de vilitate conditionis hum.*

21. Tria maxime solent homines affectare, opes, voluptates, honores: de opibus prava, de voluptatibus turpia, de honoribus vana procedunt. Nam opes generant cupiditatem et avaritiam, voluptates pariunt gulam et luxuriam, honores nutriunt superbiam et jactantiam. *Ibidem.*

22. O ignis inextinguibilis, cupiditas insatiabilis, quis unquam primo voto fuit contentus? quum adipiscitur quod optaverat, desiderat ampliora, semper in habendis, et nunquam in habilis finem constituit. *Sanguisuga duae sunt filiae dicentes. Affer, affer: nam Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Ibidem.*

23. Ex eo quantum cuique satis est, metiuntur homines divitiarum modum: filiam quis habet, pecunia est opus: duas, majore: plurimas majore, etiam si (ut ajunt) Danao quinquaginta sint filiae, tot dolens magnam quaerunt pecuniam. Quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, ut ante dixi divitiarum modus. Quid de eo, qui filias non plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quae brevi tempore magnas copias exhaurire possint? *Senec. in quad. epist.*

24. Qualem dicimus seriem causarum esse, ex quibus neclitur fatum, talem dicimus cupiditatem: altera ex fine alterius nascitur: in eam dimissus est vitam quae nunquam tibi terminum miseriarum ac servitutis ipsa factura sit. Plurima et undique ingesta non saliant. Utrum istorum traxis, in inopia satietatem, an in copia famem. *Senec. 9. epist.*

25. Quamdiu tibi satis nil fuerit, ipse aliis non eris. Quomodo, inquis, exibo? utrumque cogita, quam nulla temere pro pecunia, quam multa laboriose pro honore tentaveris? quantum ad successum accesseris, tanto accedet et metus. *Seneca.*

26. Vidisti aliquando canem missa frustra panis aperto ore captantem: quicquid accepit, protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis, quicquid expectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluntate dimittimus: statim ad rapinam

alterius erecti et attoniti, in Epicurum illud Chaos incidimus, inane sine termino est. *Senec. 45. epist.*

27. Nullum habet majus malum cupiditas quam quod ingrata est: nemo quos vincit, sed a quibus vincatur, aspiciit, et illi non tam jucundum est multos videre post se, quam grave aliquem ante se: habet hoc vitium omnis ambitio, nec respicit, nec ambitio tantum instabilis est, verum cupiditas omnis incipit a fine. *Senec. epist. 74.*

28. Cupiditas felicitatem suam non intelligit, quia non unde venerit, respicit, sed quo tendat. *Ibidem.*

29. Nunquam parum est, quod satis est, et nunquam multum, quod salis non est. Neminem pecunia divitem fecit: imo contra nulli non majorem sui cupidinem ingessit. *Senec. in epist.*

30. Fortissima pestis est cupiditas, quae solet egenos facere, quos capit, dum finem quaerendi non invenit: nam altera cupiditas ex alterius fine nascitur, et ideo fortior est, qui cupiditatem vincit quam qui hostem subjicit. *Ibidem.*

31. Alienum nobis, nostrum plus aliis placet: effugere cupiditatem, regnum est vincere. *In Prov.*

32. Cupiditati tarda est etiam celeritas. Valerius avidissimum quemque egenissimum esse dicebat. *Sen. ibid. in Prov.*

33. Cupiditates honoris, imperii, potentiae, gloriae, in maximis animis splendidissimisque ingeniis existunt. *Cicer. 1. offic.*

34. * Cupiditates non foris solum se jactant, nec tantum in alios caeco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusae inter se dissident, atque discordant. *Cicer. de finibus lib. 1.*

35. * Cupiditates sunt insatiabiles, quae non modo singulos homines, sed universas familias evertunt, totam etiam labefactant saepe rempublicam. *Ibidem.*

36. * Ex cupiditatibus, odia, dissidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Ambitio, num. 26, 27. in tit. Amor, num. 2. in tit. Avaritia et Charitas, num. 2. in tit.

Cor, núm. 11, 16. in tit. Divitiarum, núm. 6, 9, 45, 48, 49, 53. in tit. Fama, núm. 6. in tit. Mors, núm. 77. in tit. Pax, núm. 28. in tit. Potestas, núm. 17. in tit. Prudentia, núm. 5. in tit. Relinquere, núm. 21, 25, 31, 34. in tit. Superbia, núm. 11.

CURIOSITAS.

1. Curiosum genus hominum ad cognoscendum vitam alienam, desidiosum ad corrigendum suam. *Aug. lib. 10. confess.*
2. * Curiositas causa ferè est omnium, quæ cognoscuntur à nobis.
3. Humilitati saluberrimæ, qua Dominus noster Jesus Christus, ut docet, humiliatus est, maximè adversatur quedam, ut ita dicam, imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus quid Anaximedes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, et cæteri hujusmodi, ut docti eruditique videantur, cum à doctrina et vera eruditione longe absint. *Aug. in epist. ad Dioscor.*
4. Compescat se humana temeritas: et id, quod non est, non quærat: ne illud, quod est, non inveniat. *Aug. de Gen. cont. Man. lib. 1.*
5. Fons elationis et delectatio libidinis, et venenum curiositatis motus sunt animæ mortuæ, quia non ita moritur, ut omni motu careat, discedendo à fonte vitæ moritur, atque suscipitur à prætereunte seculo, et conformatur eidem. *Aug. in lib. confess.*
6. Multo facilius invenit syderum conditorem humilis pietas, quam syderum ordinem superba curiositas. *Arg. in ser. de eclips. Sol.*
7. Sunt qui desertis virtutibus, et nescientes quid sit Deus, et quanta sit majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnam aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè perquirant. Unde etiam tanta superbia gignitur, ut in ipso cælo, de quo sæpe disputant, sibi mel habitare videantur. *Aug. in lib. de moribus eccle.*

8. In consideratione creaturarum non est vana et peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, et semper manentia faciendus. *Aug. de vera relig.*
9. Dæmonum cibus est, carmina Poetarum, sæcularis scientia, Rhetoricorum pompa verborum. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla justitiæ reflectio reperitur: studiosi earum in fame veri, et virtutem penuria perseverant. *Hier. in epist. de duobus filiis.*
10. Nugas tenemus, et, fonte veritatis amisso, opinionum rivulos consecramur. *Ibidem.*
11. Sacerdotes, dimissis evangelii, et prophetiis, videmus comædias legere, et amatoria bucolicorum versus verba cantare. *Ibidem.*
12. Grave curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandum vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit, ut aliena sciens, se nesciens sit: et curiosus animus, quanto peritius fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. *Greg. hom. 56. sup. illud: Jaga boum emi quinque.*
13. Curiosus foras egreditur, et exterius omnia considerat, qui sic interna despicit, præterita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit. *Bern. in quodam serm.*
14. * Pius pulsator plerumque invenit quod temerarius scrutator invenire non potest. *Bern. super cant. serm. 24.*
15. Multi student plus alta, quam apta proferre, et erubescunt plana et humilia, ut hæc solum scire videantur. *Bern. in serm.*
16. Doctrina spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. *Bern. super Cant.*
17. Adolescentibus in ludo literarum positus non tam placent solida, quam pieta, quæque potius pulchra, quam utilia sectantur, nec tam agentia diligunt, quam sonantia. Magis gaudent foliorum amœnitate conspargi, quam fructuum ubertate nutriri. *Chrysost. in prot. super Matth.*
18. Pharisei de Deo quærere contententes, nihil aliud se invenisse confessi sunt, nisi quod incognos-